IN DIE REDEMPTO ORBI DICATO

ORATIO

AVCTORE D. MODESTO BENVENVTO
RECINETENSE MONACHO SILVESTRINO
& sacræ Theologiæ Magistro

AD

ILLVSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM
D. D. IVLIVM CARDINALEM ROMA
Episcopum Recinetensem & Lauretanum.



CAMERINI, Apud Franciscum Ioiosum. Superiorum permissu. 1625.

ILL.^mo ET R.^mo D. D. IVLIO CARDINALI ROMA.

D. MODESTVS BENVENVTVS F.



IAM diu de tuo studio consequendo laboro; quod magni ponderis atq; momenti existimo: ad id aucupandum, viam mihi hac Oratione munire decreui: quæ agit de Christi cruciatibus morteq; acerbissima, pro humano genere obita. Eam tibi gratam futuram spero: haud enim me latet, quam sis ad hęc & alia id genus legenda propensus: pius es Princeps, pia te delectant; non leuia atq; inania, quæ cæteri mortales, rebus fugacibus atq; periturís addicti, in oculis ferunt; hisq; euoluendis, magna cum voluptate incumbunt. Patere me obsecrò in album te colentium, te obseruantium referri; & temporis progressu, si erit vitæ spatium & otium, maiora mei ingenij monumenta, diuino fauente Numine expecta. Vale. Recineti.

TRIA EIVSDEM AVCTORIS EPYGRAMMATA.

DE CHRISTI MORTE.


FERALEM Christi mortem pompamq; gementem,
Cælum Terra dolent, aspera saxa fremunt.
Ipse Polus, Tellus, nigro velantur amictu:
Franguntur lapides, tota pauescit humus.
Quid Christi spina, claui, & miserabile fatum,
Non frangent lachrimis saxea corda pijs?

AD STEMMA ILLVSTRISS. CARDINALIS ROMA.

PVrpureum fundit nobis Rosa pulchra colorem:
Manè viret redolet, nocte ruente perit.
Non languet Rosa, quam prodis; seruabit odorem,
Fudit eam Tellus, hanc Polus ipse dedit.

AD STEMMA EIVSDEM ILLVSTRISS. DOMINI.

VEre nouo Hesperijs oriuntur Lilia campis
Assyrius molli cespite manat odor:
Sed tua maiori certè penduntur odore;
Ad fines Orbis Roma superba tonat.



ORATIO.

EST cur hoc tempore, quo templa mœrent, doloris insignibus uestita, muta sunt fora, publicumq. iustitium edicitur; assiduæ lachrymæ, denso cum gemitu, ex oculis fluant; & lingua mœstissimam uereq; tragicam querimoniam fundat, Auditores: Victor enim ille, cum clamore ualido è uita migrauit, qui merce de largoq; præmio illius perēnis æternitatis emeritos Christianæ militiæ bellatores donare solebat: iacet exanimis, qui omnibus eius fidem implorantibus telum cælestis gratiæ ad teterrimi humani generis hostis, iacula infringenda e patrio Cælo porrigebat: Sol noster occidit; cuius occasus ingenti mœroris umbra terram sine dubio obnupsit atq. uelauit. Aggrediar de eius cruciatibus neceq; acerbissima dicere; & in latissimo dicendi campo, cancellos mihi breuitatis præscribā. Seruator noster, Discipulos, quibus propediem erat ipse extremam salutem dicturus, suoq. aspectu atq; præsentia uiduatos relicturus unum in locum coactos, cælesti cibo diuinoq pabulo refecit: quo peracto atq; absoluto munere, cum animaduertisset illum illuxisse diem, quo humanus genus, ab hereditario Dæmonis mancipio tentum, ad pileum tādem aliquando uocandum erat; proximā Getsemani Villam pariter cum Apostolis adire placuit: ibiq; dum operis initium aggressurus, precibus inuigilat; è uestigio ingentis formidinis sicra perterritus, & per membra purpureis decurrentibus riuulis, cognouit se illa & alia atrocia, quæ mox euentura erant mortalium caussa; qui maxima

piacula

piacula contraxerant, immerito perferre: paruo enim temporis interuallo undiq; gladiorum fulgor, oculorum aciem perstringentium conspicitur; undiq; armorum sonitus exauditur; alius aliò tendit ad dulcissimum Iuuenem quærendum, ut amarissimum ærumnarum calicem primo quoq; tempore degustaret: alij classicum canunt; alij excubias agunt ne Domino ulla arte elabendi facultas foret: alij stuppea uincula præparant, quibus Christi manus, quæ multorum uitam è faucibus fati eripuit, uinciantur. Ecce autem prò nefandum facinus homines illi, ex omnium scelerum colluuione nati odioq; tartareo calentes simulatq; a Iuda osculum libatum uident, in uindicem nostræ libertatis, haud secus, quam Leones irritati in pecus imbelle desæuiunt. Ille uerò licet ob Iudæ dolum in magnis uersaretur angustijs; attamen insidiatorem; cui semper benignè fecerat, blando uerborum lenocinio demulcet: instar Iulij Cæsaris Marcum Brutum oppugnatorem uocantis O te miserum atq; infelicem proditorem; hæc tibi nota inusta est ad ignominiam sempiternam: qui fieri potest, ut tu Discipulus, Magistrum a quo cælesti disciplina fueras imbutus, & appelles, & prodas? intus latet proditio: foras erumpit ueritas, sed adulationis melle condita; Iudas enim, præceptorem, & oratione laudat, & osculo lædit; qui ferreo uinculo sine ulla humanitate, ac pietatis sensu deuinctus; funium nostrorum scelerum, quam citissimè soluendorum gratia atq; immanium gentium sepimento uallatus; post raptionem in ius haud æquum seu aliquorum Principum truculentas aulas, rapitur tandem ad Pilati arenam: atroces iniurias atq; irrisiones, sine ulla uel leui querimonia, irritati atq; impatientis animi tessera, æquo libentiq; animo tolerat. Quare nisi inuidia Sacerdotum animi æstuassent; Præsidisq; mentem occupasset formido, Christum esse extra noxam culpæq; expertem facile pronunciassent. Verum obstrepente Iudæorum clamore plus nimio territus Iudex, qui iam accusationem exarmarat, ipsorum efferatum atq; præcipitem furorem; quo huc atq; illuc temerè ferebantur, repressurus, fasciculis expeditis, eum irrigari seruilem in modum iubet: cuius mandatum lictores, immanitati habena laxata persequuntur. Væ hominibus sceleribus deformatis; quandoquidem temporis intercapedine, diuini Modera-

toris

toris adulciscendas iniurias parati; nullumq; peccatum ut sit impune ferentis, minas, & pœnas reipsa experientur. His fluctibus facinorosi iactantur. O barbariem post homines natos minus auditam; nodosis enim uirgarum ictibus, Verbum Patris, Imago, Vita, Filius: qui uitæ splendorem nullis unquam maculis aspersit, dirissimè torquetur; & a sanguinis inundatione, tanta miseriarum turba uexatur, ut exhaustis animi corporisq; uiribus, totis ponderibus in terram corruerit: maledictionis sententia; quam tum primum ab Orbis adolescentis initio tulerat, fortasse inducta atq; deleta. ne ipsa tellus inposterum spinas, & tribulos; sed suaues fructus, ad animi oblectationem, ad oculorum elationem, ad gustus uoluptatem effunderet; natat sanguine pauimentum, asperguntur Carnifices, madet Christus; in quo uerberando, iam defessi ferales milites: ipse uerò ferendo non item; uel luculentis acceptis plagis: immo diuini amoris ergo, quo nos prosequebatur, ad eas sufferendas fortior factus; caput spinarum aculeis perforari, uultumq; alieno oris excremento pollui atq; fœdari non inuitus patitur. quæ omnia minimè sunt satis ad Iudæorum corda, adamante duriora, frangenda; immaculati Agni prætioso sanguine ad oculos occurrente. etenim Christum cruci esse affigendum, & de medio tollendum magna uoce contendunt. nihil est eis iucundius, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio Christi. quid multis est opus? cum Pilatus e Tantali horto fructus in Iesu liberando se colligere intelligeret; ablutis manibus, sed non animo peccatorum sordibus: immò hac cærimonia, suis flagitijs, & sceleribus uelamento quæsito; iniustam sententiam, refractis æquitatis & iustitiæ claustris, aduersus æsopicum sanguinem e tribunali pronunciat. Iniquus profectò Iudex Auditores: cogitandum ei atq; perpendendum erat, magnum Alexandrum, uel precibus suæ matris Olimpiadis fatigatum, capitis quendam condemnare noluisse: ipse uerò Iudæorum rogatis oppugnatus, Christum, Deum, hominemq; de cuius uirtute nulla unquam obmutescet ætas, eis occidendum atq; iugulandum tradit. cuius humeris supra quos peccantes moliti fuerant, crucis onere imposito, ad infamem locum peruenitur; in crucem ipse tollitur, uelut barbarus ex triuio, medios inter trium litteraium

homines,

homines, magnoq; theatro. & fusis ad cælestem Parentem precibus, uenis iam tandem sanguine uacuis; ut intelligerent homines non corruptibilibus auro & argento se esse expensos; quorum salus, stetit ei sanguine, uulneribus, morte Cum petijsset animæ suæ vt moreretur: *clausis luminibus, capite ad animæ latebras paulum depresso, inspirandi caussa ex integro in hominem spiraculum uitæ; libentissimè pro eodem homine abiuit a uita; sed non a uoto tolerandi pro nobis. Phæbus & Cinthia lucis defectione atrati pullatiq. in funeralibus Christi pompis, terra ingenti motu agitata, tenebrisq. inuoluta, immani uiso spectaculo, crudeliq. funere, Conditoris obitum magno luctu fletuq: deplorant; & mortalium Parenti iusta funebria, non sine miseratione dolorisq. sensu persoluunt: quorum caussa, innumeras ipse ægritudines cladesq. ab ætatis carceribus ad metam; nullo laborum fasce confectus, exantlauit. Ne rebus igitur, mente & ratione carentibus, deteriores simus: hunc Seruatoris nostri myrrhæ fasciculum, amarissimum sensui; animo uerò dulcissimum, in penetralibus, in intimo pectore, diu noctuq. seruemus.*

D. I. X. I.

Imprimatur.

Alphinius Iuratus Anatholien. I.V. ac sac. Theol. Doct. Vic. Gen. Camerini.

Imprimatur.

Fr. Andreas Marescottus Lector, & Prior S. Dominici de Camerino de mandato adm. R. P. Vicarij sanct. Offic. Inquisitionis F. Hyacinthi Frenati.